



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

tionem hæc præterea præscribenda cen-
suimus.

Ne igitur Sacerdoti, Clericove sacer-
tari aut regulari exorcismum energume-
nis adhibere liceat, nisi is exorcizandi
facultatem scripto exaratam à nobis im-
petravit.

Quā facultatē vbi quis probatus ob-
tinuerit, hæc quæ mox infra ordine præ-
scribentur, accuratè seruet atq; exequat.

Antequam exorcizare aliquem ag-
reditur, perquirat in primis energume-
ni energumenæ vitam ac mores; tum
exploret actiones; & medicum si expedi-
re centuerit, consulat, adhibeat: vt vi-
deat, an quod ab illo illave agitur, fiat
morbi alicuius aut bilis atræ vi; an spon-
tē ac dissimulanter; an dæmonis malo-
rumque spirituum vexatione.

Videat item, an ille excommunicatio-
nis vinculo irretitus sit, anq; absolutio-
nem acceperit.

In religioso exorcizadi munere, eius-
ve occasione, non modò quæstum fugiat;
sed ne doni aut muneris quidquam vel
minimum capiat.

Ne in ædibus laicalibus, locisve pri-
uatis; sed in Ecclesia, loco aperto & cou-
spicuo; neque in omni quavis Ecclesia,
sed in iis solùm, quas certas Archiepi-
scopos constituerit.

Neque in conspectu multitudinis (nō
remotis tamen arbitris) sed præsentibus
viris honestis, atque ætate grauibus, in
ijsq; uno saltem aut duobus Ecclesiastici
hominibus.

Mulieri autem energumenæ cum ex-
orcismum adhibet; id præstet duobus
ætate vitaque probatis viris, tum formi-
nis etiam itidem probatis præsentibus,
ijsq; omnibus, si fieri potest, energume-
nae consanguineis aut affinibus.

Mares autem alias præsentes adse-
ne omnino patiatur, nisi unum Ecclesiastici
ordinis hominem.

Ne ante ortum, nec verò post occa-
sionem Solis cuiquam exorcismū adhibeat.

Ne duos simul eodem tempore exor-
cizet, sed unumquemque sigillatim ac
separatim.

In huius muneris functione, grauiter,
piè, & religiosè in primis se gerat. quā-
obrem pridie illius diei, quo alicui exor-

cismum adhibere incœperit, se ieiunio
& oratione præparare studeat.

Tum confesus, conscientia ab omni cul-
pa pura ac munda, magna cum humili-
tate & fide, memor potestatis quā à Do-
mino accepit expellendi dæmones, ad
id munus obeundum accedat.

Si Sacerdos autem est, ne cuiquam an-
te exorcismū adhibeat, quā Missæ fa-
crum fecerit.

Energumenis verò exorcismū ne ad-
hibere incipiat; nisi illi primū confes-
si sint: ad hocq; eos cohortetur, vt om-
nis antea cœta vitæ peccata diligenter con-
scientia discussione confiteantur: tunc
sep̄ moneat, vt precibus, orationi, & san-
ctis meditationibus, & pietatis studijs
atq; exercitationi le dent; religiosas Ec-
clesias, vbi Sanctorum reliquiæ reconda-
ta sint, certis diebus piè visitent; ieiuni-
a præterea, & in sexta quaque in primis
feria, quo die Passionis Iesu Christi
Domini memoria recolitur, religiosè
amplectantur.

Caveat dum exorcizat, ne energume-
næ mulieris caput, humeros, manumve
tangat; neve energumenam energume-
numve altari imponat; neve quidquam
agat, quod offenditionem præbeat.

Ne alijs verò exorcismis, precibus, ri-
tibusq; ad id munus vtatur, nisi ad libri
iudicio Archiepiscopi comprobati ra-
tionem præscriptam.

Cui nihil ab eo addi detrahi, ac ne mu-
tari quidquam fas sit.

Præscriptas ha: regulas quō diligen-
tius seruet, tabellas descriptas eo loco fi-
bi proponat, vbi potissimum id munus
geret.

Decretum. XIX.

QVI in sortem Domini vocati sunt, De ecclesie
diuinarumq; rerum ministerio addicti; lis vita de
illorum in Ecclesia Dei status is est, vt si
morum grauitate, vitæq; exemplo suam
ipſi dignitatem retineant, magnam affe-
rant auctoritatem ad piè Christianoq;
more viuendum.

Rursus si quidquam in ylo cuiusvis rei
vel minimæ generi offendunt; eorum
ordo ita grauiter luditur, vt illum de-
coris splendorem ferinere nequeat; qui
ad continentos in officio laicos homi-
nes, non solùm utilis, sed maximè etiam
nece-

necessarius esse videtur.

Quare de clericalis vita disciplina, præter cætera que de eo genere per nos sancta sunt, hæc etiam statuimus atque decernimus.

Sacerdotem Clericumve cuiusvis ordinis, in canticis, hymnis, psalmis, catenariorumq; ecclesiastici cultus officiis religiosa modulatione concelebrâdis, diuinis que laudibus sancte concinendis ita versari conuenit; ut voce sua sacris dicata abuti non debeat ad profanas cantiones & modulationes, atque ad voluntarias deliciasq; laicorum oblectationes.

Quamobrem caueat, nè in nuptialibus laicalibusq; conuiuijs aut mensis canendi operam suam nauet; ne villo quidem, vel cognitionis, vel amicitie, familiaritatis, obsequii, alteriusve rei causa: cum præsertim Clericalem hominem inter epulas canere veteri canone planè interdictum sit.

Omnis etiā Sacerdos Clericusve publica coniuicia vitet, & comedationes eiusmodi; quibus scepè sit, vt contemptu sit ecclesiastici ministerij dignitas.

Ne præterea apud se libros habeat aut legat, quorum lectione benè agendi studium, morū disciplina, & timor charitasque Dei languescere possit: quales libri sunt, qui res vel inanæ, vel iocofus, vel scuriles ridiculasve, vel impuras continent.

Ne rerum nouarum curiositates conseruentur.

Ne quæ iocularia sunt, quæ ridicula, unde cachinni risusq; solutiores excitantur, loquatur.

In omni item incessu, statu, gestu, vultu, ordinem suum Sacerdos & Clericus profiteatur; omni clericalis vita actione religiosi animi mores exprimens, qui in Ecclesiastici ordinis hominibus elucere debent.

In vestitu hæc etiam præter cætera quæ per nos sancta sunt, seruet.

Quicunque in Metropolitana nostra Ecclesia Archipresbyteratum, Archidiaconatum, Premicieratum, Præposituram, Decanatum, & Canonicatus, quas Ordinarias appellant, obtinent; qui itē alij in vrbe & in diœcesi Mediolanensi Præpositi & Archipresbyteri sunt: eos

vniuersos & singulos, eiusmodi mantellum absq; manicis, quod tunicam talarem adæquet, vbiique & semper, nisi itineris causa, & per pluviam, induere atq; adhibere iubemus.

Si qui verò sunt, quibus pro alterius dignitatis ratione mantelletum aliquantulo tunica talari breuius adhiberi licet, illos eo vt non vetamus.

Parochi autem tum urbani tum diœcesani (qui sicut nomine, ita vita exemplo & habitu paternam quādam gravitatem & professionem præferre præsertim in populo suo debet) togam talarem decorè confectâ, que (vt vetus est in Ecclesia Mediolanensi institutum, propriumq; eorundem insigne & ornameatum) manicis sit latè amplis, quæque ad collū aptè connectatur, semper induant; quoquaque alio gradu aut dignitate prædicti illi sint.

Quod de Parochis item urbanis solum de capitulo altera Synodo diœcesana constitutum, idem diœcesanis Parochis prescribimus.

Vicariis item Ecclesiarum parochialium perpetuis in vrbe seu in diœcesi constitutis, & de toga parochiali, & de capitulo hoc ipsum statuimus.

Alios autem Sacerdotes, qui ad tempus cōdacti, aut Capellani coadiutoris, ve nomine Parochi munus obeunt, non toga eiusmodi parochiali, neq; capitulo, sed vt reliquum Clerum toga infra prescripta indui decernimus.

Reliquus autem Clerus, Canonici sci licet quicquid, alijq; Sacerdotes & Clerici, toga vtantur; quæ non manicis oblongis, neque amplis sit, sed brevibus, & ad manum vlique non admodum angustè porrectis & indutis; ijsq; ab vtroq; humero decenter paulò latioribus. In quibus si qui sunt gradu aliquo ornati; illos vestem adhibere, gradui ex Cœcilorum nostrorum præscripto congruentem permittimus.

De pallio præterea, quod ferraiolum vocant, omnes planè seruent, quod primo Provinciali Concilio per nos sanctum est.

Nec interularum manicis ad manum reflexis vtantur.

Quod de collari interularum itē

tit. de cle.
vest. §. Pal.
liū pag. 18.

C 3 plici

plici præscripsum, id etiam eiusmodi sit, vt ne ab extrema quidem anteriori parte quasi rostratum promineat.

Neque cingula serico retisve instar contexta, aut è corio confecta adhibeāt; neque cingulis sudariola accingant, aut appendant.

A caligarum vsu abstineant, quæ nauticarum speciem præferant.

Vestes quas domi priuatim induent, eiusmodi sint, quæ non colore, non vlla habitus specie à clericali modestia discrepent.

Cum in Ecclesia versantur, quo tempore superpelliceum inducere non debent, ne sint sine toga exteriori: nec verò absq; ea etiā in dioecesanis locis prodeant, nisi cùm eos pedibus iter faciétes

via difficultas & longitudo aliter cogit.
Si quod iter equo faciunt; ne absque viatoria veste exteriori equirent, succincta interiori tunica, aut alia contractiori decenter adhibita, ad dioecsanæ pri-

me nostræ Synodi præscriptum.

Præpositi, & urbani, quibus certum aliud indumenti genus à Sede Apostolica concessum non est, & ij dioecsanis, quorum præpositura capita plebis sunt, tum in Ecclesia diuinis officijs, tum foris processionibus agendis, & in alijs publicis Ecclesiasticis eiusmodi actionibus (nisi cùm pro solennitatibus ratione sacra alia indumenta adhibenda sunt) cappa semper, quod vetus eoru insigne esse compertum est, eiusmodi vtantur: quæ nigro colore sit tenui eo panno confecta, quem sarzam, aut sriam vulgo vocant, à posteriori parte in longitudinem ducta: quæ decenter intulata, & infra finistrum brachium demissa tenetur.

Circumamicta autem à pectori illa per hyemem sit pelle scuria, quam dossiam, dicunt; per aestatem serico violacei coloris.

Cum autem illam induunt, superpelliceo eiusmodi, quod angustis manicis sit, subtilis eostunc vt non vetamus: alio præterea tempore nunquam vtantur.

Quam cappam Præpositi urbani non in alienis Ecclesijs, sed in suis solis, ac præterea foris, cum aliquod Ecclesiasticae functionis manus collegiatum cum

suo clero obeunt, abhibeant; dioecsanæ in suis item, non in alienis plebis.

Superpelliceis cùm ministerij vsu postulat, omnes vtantur; quæ non lacerant, non sordida, non elaborata nimis, ita vt artificij ornatus in humeris speciosus appareat.

Quibus autem rocheto vti licet, id eiusmodi sit, in quo non vlla artificiosi operis species, neq; affectata elegancia ostentetur.

Modestiam verò omnes cùm in omni habitu, actione q; præferant; tum in eo etiam, vt ne certo eo nomine, quod propriè Ecclesiarū Presidibus, Ecclesiasticaq; dignitate præditis conuenit, se mutuo qui non debent, ambitiosè appellent.

Decretum . XX.

S A C E R D O S, Clericusve sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens, ne morbi quidem cauist quia laborat, Canonicarum horarum officium omissit; nisi de consilio confessarij Sacerdotis, & vbi adhiberi potest, medici item: nisi is ita grauiter morbo laborat, vt planè sentiat se illius grauitate impediri, quod minus statas preces horarias recitare possit.

Decretum . XXI.

Q V A M supplici mente, intimaque animi pietate, Ecclesiastici ordinis homines horarias diuinis officij preces dicere debeant; id & antiquis Patrum institutionis cautum est, & Lateranensi Concilio Innocentius Tertius Pôtifex monuit. Cùm enim [non tantum pro populo, vt inquit Apostolus, verum etiam pro se ipfis, qui circundati sunt infirmitate, orandum eis sit;] id non modò sine intermissione, sed etiam studiosè ad deuotè ageantur.

Quare admonemus omnes & singulos nostre dioecesis & urbis Mediolanensis ecclesiasticos homines, vt cùm eiusmodi precum Canonicarum officium priuatum præstant, ne deambulando, aliudve agendo id muneris explent: in Ecclesiam, si ei domus fit coniuncta, aut saltē domi in locum quoad fieri potest precatiōni aptiore recipiant; vt animo, qui deambulationibus, & aliarum rerarum actio-

Horæ canonicæ q; in infirmitate omittenda.

Horæ canonicæ qua pie tate recitan dæ.

Ad Hebr. 5.